Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Quia misericordiam et veritatem
diligit deus: gratiam et gloriam
dabit dominus. Non privabit
bonis eos qui ambulant
in innocentia: domine virtutum
beatus homo qui sperat in te. Ps.
Benedixisti domine
terram tuam: avertisti
captivitatem iacob.
Remisisti iniquitatem
plebis tue: operuisti omnia
peccata eorum. Mitigasti
omnem iram tuam: avertisti
ab ira indignationis
tue. Convertere deus
salutaris noster: et averte
iram tuam a nobis. Nun
quid in eternum irascis nobis:
aut extendes iram tuam
a generatione in generationem.
Deus tu conversus vivi
ficabis nos: et plebs tua
letabitur in te. Ostende nobis
domine misericordiam tuam: et salu
tare tuum da nobis. Audiam
quid loquatur in me dominus deus:
quoniam loquetur pacem in plebem
suam. Et super sanctos
suos: et in eos qui convertuntur
ad cor. Verumtamen
prope timentes eum salu
tare ipsius: ut inhabitet
gloria in terra nostra. Misericordia et
veritas obviaverunt sibi:
iustitia et pax osculate
sunt. Veritas de terra
orta est: et iustitia de celo
prospexit. Etenim dominus
dabit benignitatem: et
terra nostra dabit fructum
suum. Iustitia ante eum
ambulabit: et ponet
in via gressus suos. Ps.
Inclina domine aurem tuam
et exaudi me: quoniam
inops et pauper sum ego.
Custodi animam meam
quoniam sanctus sum: salvum fac
servum tuum deus meus sperantem
in te. Miserere mihi domine
quoniam ad te clamavi tota
die: letifica animam serva
tui, quoniam ad te domine animam
meam levavi. Quoniam tu do
mine suavis et mitis
et multe misericordie: omnibus
invocantibus te. Auribus
percipe domine orationem meam: